

TABULA XV.

DE

ENTE PER SE ET PER ACCIDENS.

Ratione Unitatis  
Ens est vel  
per se vel per  
accidens. Ubi  
notandum,  
r̄ ò per se &  
per accidens  
dici ratione.

I. Predicationis, & sic

Duo sunt modi per se, Et ita

Primo modo PER SE dicitur unumquodq; quod alterius definitionem aut se defini non possit, conceptum quidditativum ingreditur, ut & ipsa definitio sive conceptus quidditativus. Ita de homine per se dicitur tum animal quod est genus; tum rationale, quod est differentia; tum animal rationale, quæ est ipsa definitio.

Secundo modo PER SE dicitur, quod ita alteri inest, ut alterum vicissim in suis definitionem ingrediatur. Ut numerum esse parem vel imparem: neque enim par & impar sine mentione numeri defini possunt.

Hisce opponitur unus modus predicandi PER ACCIDENS; cum videlicet neque predicatum subjecti neque subjectum predicati definitionem, ingreditur: ut hominem esse album.

II. Modi essendi, & tunc PER SE dicimus, quod non est in aliò tanquam in subjecto, ut substantia; ESSE PER ACCIDENS, quod ad sui existentiam requirit subjectum inbasionis, ut novem reliqua categoriarum genera. Hoc modo divisio entis in ens per se & per accidens, prorsus coincidit cum M<sup>a</sup>, quæ ens in substantiam & accidens dispescitur.

III. Modi causandi, quomodo aliquid alteri ideò PER SE vel PER ACCIDENS tribuitur, quia alterum est causa ejus per se vel per accidens: Sicut fossori vineæ vel sepulchri per se competit, effodisse terram; sed per accidens eruisse thesaurum.

IV. Unitatis, & ita in præsentia sumitur. Et secundum

Aristotelem Ens

Per se dicitur, (α.) quod significat figuras predicationis, hoc est, quod collocatur in aliquò ex decem prædicamentis.

Per Accidens quod ab Aristotele non describitur, sed solum per enumerationem specierum, nempe ejus, quod constat ex

Subiecto & accidenti, ut homo albus.  
Pluribus accidentibus ejusdem subjecti. Ut Musicus albus, si idem homo simul Musicus sit & albus.

Est, (β.) quod habet præcisè ea, quæ ad essentiam, integritatem vel complementum talis entis in suo genere per se & intrinsecè requiruntur. Disp. Metaph. IV. se& III. §. 6.

Aliis hæc arridet descriptio: ENS PER SE est quod nullis, aut certè iis partibus constat, quæ à naturâ primò & per se ad id ordinata sunt, ut ad tale ens constituendum uniantur.

Suarez & alios Ens

Per se

Complectitur

Substantias, quò pertinent

I. Omnia simplicia, sive substantia sint, ut DEUS, Angelus, anima rationalis; sive accidentia, ut quæ Angelis & animæ rationali insunt.

II. Ex compositis omnia illa, quæ partibus dicto modo ad se invicem comparatis & unitis constant. Neque enim in compositis aliunde formalis ratio entis per se, atq; ab unione partium sive extremorum, accersi potest. Ita ex substantiarum completarum numero Entia per se sunt

1. Quæ ex materiâ & formâ substantiali constant, ut homo, quatenus ex corpore & animâ rationali est compositus.

2. Quæ ex partibus integrantibus dicto modo unitis constant, ut idem homo, quatenus caput, cor, pulmonè, carnem, ossa & alias partes complectitur.

3. Quæ ex essentiâ & substantiâ constant, ut idem, homo, quatenus est suppositum.

Sed & substantiæ incompletæ, exceptâ animâ rationali, aliquo compositionis genere gaudent, & in tantum quidem entia per se sunt, in quantum partes per se unitas habent: ut materia hominis, scilicet corpus organicum: hujusque partes, ut crus, brachium, caput, thorax.